

continue patitur tantas, quod labores tam longi itineris ad vestre sanctitatis presenciam veniendo absque periculo sui corporis, etiam mortis, non poterit ullatenus sustinere. (4) Item propter statum ecclesie Moguntine presentem, presertim ob continuas quam plurimorum nobilium et aliorum hominum continue ac frequenter eandem ecclesiam Moguntinam et eius bona inpugnancium invasiones tot et tantas emergentes et quasi sine intervallo imminentes, quod si idem . . dominus meus ab eadem ecclesia Moguntina se absentaret, ad talem casum et subversionem deveniret et devenire posset, a quo non posset sublevari.

Unde ob premissas iustas absencie causas seu earum aliqua vel aliquas, que sufficiant, et alias causas, si opus fuerit, proponendas, quas domino meo protestor esse salvas, idem dominus meus in vestre sanctitatis curia prefata non poterit personaliter comparere et suas defensiones legitimas contra sibi inposita, si qua sunt inposita, competentes proponere. Sed protestor quo supra nomine, easdem defensiones eidem domino meo remanere salvas in loco tuto, securo et absque periculo sui corporis et rerum suarum sibi accessibili per vestram sanctitatem deputando et assignando, si et in quantum ac quando iuris necessitate tenetur et astringitur, proponendas, et offero me nomine quo supra in loco, ut premittitur, tuto et accessibili dictas absencie causas probaturum, quem eciam locum tutum et accessibilem ad hoc faciendum humiliter peto per vestram sanctitatem assignari, solum ad necessaria de premissis pro mea seu mei . . domini intencione fundanda me quo supra nomine astringendo.

XIII. Bündnis der Herzöge von Oesterreich mit König Edward von England. 1338 Nov. 25.¹

Or. Reichsarchiv, Bundesbriefe Fasc. 2.

Nos Albertus et Otto Dei gracia duces Austrie, Styrie et Karinthe, domini Carniole, Marchye ac Portusnaonis, comites in Habspürch et in Kybüch necnon lant|gravii Alsacie ad universorum noticiam, quorum interesse fuerit, cupimus pervenire, quod consideratione mere dileccionis et amicicie cum excellenti principe domino Edwardo Anglye rege illustri, affini nostro karissimo, grato affinitatis nexu inter nos amicabilem et sincerius solidato quasdam ligas

1) Böhmer, Regesten 1314—47, S. 254 n. 195. Bisher nur unvollständig bekannt. Die Gegenurkunde Edwards von 1339 Febr. 19, ebenda S. 265 n. 307.